

1570

tis, atque eloquentiæ viros in iisdem rebus posteris tradendis elaborasse animadverterem; non ab re quoque me facturum esse existimavi, si in his, quæ difficillimis temporibus Reipublicæ accidere, mea quoque extaret industria; cum præsertim inter ea, quæ nostra tempestate contingere, nihil vel rerum gravitate, vel casuum varietate anteferendum putem. Accedit quod pleraque ex publicis commentariis, ex diligentissimorum virorum scriptis, atque ex iis, qui rebus interfuere, narrationibus excerpserim; multorum quoque, licet adolescens, testis esse possim; quæ si diligenter, atque accurate a me posteris tradantur, operæ pretium facturum, ni fallor, existimo. Primum igitur, quæ de Cypro comperta habeo, minime præmittenda vel ad memoriam, vel ad curiositatem arbitror.

*Cypriarum
rerum nar-
ratio.*

Cyprum initio Cethimum Japheto tertio Noachi filio progenitum incoluisse ferunt, postquam Babilonica turri idioma-
tum permixtione disiecta, mortales diversas terras petiere. Inde Cethim primum fuisse appellatam; mox paulatim, primævo Dei Optimi Maximi cultu, vel hominum pravitate ac sceleribus, vel præstigiis ac fallaciis dæmonum extincto, atque abolito, dum divinos honores, ac famæ immortalitatem concupiscunt, & inter Deos relati, divinitatis opinione, ac metu mortales perfundunt; ingens exorta Deorum turba, indita eorum urbibus nomina, templa erecta. In Cypro orta Venus summis honoribus colebatur. Templum magnifice in oppido Cythera extructum, Cythereæ nomen dedit; multisque fabulis aspersa veritas insulam apud antiquos percelebrem reddidit. Verum Troja a Græcis everfa, res Cypriæ vehementer sese extulere, novemque in ea insula Reges imperitarunt, qui, Phœnicibus devictis, maritimis rebus florere. Donec Alexandri tempora succedere, qui, Perside, Indiaque subacta, letho proximus, cum immensam imperii molem partiretur, Ptolemæo, Lagi filio, quarta pars, Alexandria nempe, in qua Cyprus censebatur, obvenit; cui Demetrius, Antigoni Syriæ Regis filius, maritimo prælio victo insulam ademittit. Sed neque Demetrii imperium diuturnum; nam Antigono patre vita functo, in Syriam profectus, intestinis cum Seleuco dissidiis diffentus, Ptolemæo rursus Cypri recuperandæ facultatem fecit. Huic Philadelphus ille successit, cujus opera congestis undique

im-